

MATTSSON, CLOVERUS, JOHANNES ERICI

Oratio de æstate : (Upps.-Schefferus
15 juni 1651)

[1651]

EOD - Miljoner böcker bara en knapptryckning bort. I mer än 12 europeiska länder!



Tack för att du väljer EOD!

Europeiska bibliotek har miljontals böcker från 1400- till 1900-talet i sina samlingar. Alla dessa böcker går nu att få som e-böcker – de är bara ett musklick bort. Sök i katalogen från något av biblioteken i eBooks on Demand- nätverket (EOD) och beställ boken som e-bok – tillgängligt från hela världen, 24 timmar per dag och 7 dagar i veckan. Boken digitaliseras och blir tillgänglig för dig som e-bok.

EOD bokens fördelar!

- Få samma utseende och känsla som med originalet!
 - Använd ditt standardprogram för att läsa boken på skärmen, zooma och navigera genom boken.
 - *Sök:** Använd fulltextsökning för enskilda fraser.
 - *Klipp & klistra:** Kopiera bilder och delar av texten till andra applikationer (t.ex. ordbehandlingsprogram).
- *Ej tillgängligt i varje e-bok.

Villkor för användning

Genom att använda EOD-tjänsten accepterar du de villkor som ställs av biblioteket som äger den aktuella boken.

- Villkor för användning: <https://books2ebooks.eu/csp/sv/nls/sv/agb.html>

Fler e-böcker


Redan nu erbjuder 40 bibliotek från 12 europeiska länder denna service. Sök böcker tillgängliga för den här tjänsten: <https://search.books2ebooks.eu>
Mer information finns tillgängliga via <https://books2ebooks.eu> boken.

GLOVERUS IOAN.


~~F. 1700~~
S. 22

Pa. Samel.
1700
Lat. tal. nrs.
(B. 2)





De Carole
Folio 1700
Cate. tal. Repu.
(111)



ORATIO

De

ÆSTATE

Nobilissima ac Præstantis-
sima anni parte
ejusq;

Svavitate & jucunditate Summa,
Quam

In Celeberrima ac Regia A-
cademia Upsaliensi die 15. Junij, Anno
ἑξήσονταις, M. DC. LI. in Auditorio
Gustaviano publicè ex memoria
proclamabat:

JOANNES ERICI CLOVERUS
Uplandus.

S. R. Majest:is Stipendiarius.

UPSALIÆ,

Imprimebat ESCHILLUS MATTHIÆ.



*Reverendo Admodum & Praeclentissimo viro
ac Domino,*

Dn. ERICO GABRIELIS
EMPORAGRIO, S. S. Theolog. Doctori Ce-
leberrimo, Holmensium Pastori primario, & Consi-
storij ibidem praesidi gravissimo.

UT ET

Reverendis, Clariss. ac Doctissimis viris

Dn. M. JOHANNI NIU-
RENIO, Enecopensium
Pastori dignissimo.

Dn. M. ERICO FILME
RO, Praeposito & Past. in
Wesholm vigilantissimo.

Dn. SVENONI NICO-
LAI, Praeposito & Pasto-
ri in Sanga fidelissimo.

Dn. MARTINO NIC.
Holm/Pastori in Ofwansidö
dexterrimo, Nutritio suo
honorando.

Dn. OLAO Pastori in Lille-
tyrlia honorabili.

Dn. M. OLAO Ubsaliensi,
Pastori in Torstuna meri-
tissimo.

Dn. M. HAQUINO A.
Granro Tierpensium Pa-
stori integerrimo.

Dn. LAURENTIO JO-
ANNIS Bothniensi Past.
in Broo Impigerrimo.

Dn. OLAO PAULI, Pa-
stori in Särntuna diligen-
tissimo.

D. NICOLAO HEN.
Peninsolto Past. in Mun-
sidö pervigili.

*Dn. Mecanatibus, Promotoribus ac fautoribus, quorū obser-
vantia & honoris cultu devenerandis, suscipiendis, Hoc
qualecūq; exercitium oratorium in debita reverentia &
gratitudinis signum*

*reverenter & officiosè
dedicat & offert*

JOANNES E. Cloverus.





LECTORIBUS BENE-
VOLIS
S. D.



ergo post hyberna, & hor-
rentis cœli noctes prope continuas,
ver tandem appropinquat. Exerit
Sol vim suam, radiisque latitantem terræ provocat
virtutem. Proveniunt herbæ virentes, varietate-
que florum majestatem agri condecorant. Nulli
corporis nostri membro licet nunc esse otioso. Ha-
bent oculi tot arborum species jucundas, aures tot
avjum dulcia modulamina, nares tot odorum suavi-
tates exquisitas, quibus se oblectant. Quid igitur
mirum, si & mens humana sese erigat? si hac nova
rerum omnium sedulitate, ipsa quoque ad labores
novos incitetur? Certe ex hoc studiosorum nostro-
rum cœtu Juvenis honestus & eximius Dominus
JOANNES ERICI CLOVERUS, Uplandus
facere

facere non potuit, quin Naturam imitatus, vires
suas excuteret, styloque illam Magni Parentis pul-
chritudinem depingeret. Quem conatum cum pro-
bare commilitonibus suis publice decreverit, no-
strum fuit isthac schedulâ id indicare, simulac ro-
gare Dominos studiosos, ut finitis precibus pome-
ridianis in Gustavianum ascendere, ibique de Æ-
state perorantem hoc prænuntio æstatis tempore
auscultare haud graventur. Erimus officij hujus
memores, ipsisque id vicissim alia occasione retri-
buemus. Valere.

JOANNES SCHEFFERUS,

Eloq. & Polit. Prof. Skyt.



MAGNIFICE Dn. R E C T O R,

Admodum Reverendi & Praclarissimi Dn. Professores,
Præceptores ac Mæcenates omni reverentia cultu atatem
devenuerandi, tuq; Nobilissima Clarissima atq; præ-
stantissima litterarum concio.



uantam bonitatem atq;

præstantiam, Numen illud æternum,
homini primitus communicarit ac
concesserit, cuius manifestum erit,
cum hunc præ reliquis animalibus tam intellectus
ac animi dotibus, quàm corporis pulchritudine for-
mæq; dexteritate ornatum condecoratumq; esse vo-
luerit. Bestias ac brutorum animalium genera ad
terram reflexit, ut terrena modo, corporibus & pa-
scuis eorum utilia curarent; hominem verò rationis
compotem erexit, sublimiq; ore formavit, quò non
in terrenis passum figeret, sed in excellentioribus a-
nimum suum exercere contenderet, Ut Ovidius e-
gregiè his expressit carminibus:

Pronaq; cum spectent animalia cætera terram,

Os homini sublime dedit, cælumq; tueri

Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

A

Homo

Homo itaq; illorum memor, in hoc unicè incumbat, ut præclarissimis ejusmodi donis minime abuti, sed iisdem majestatem Divinam, operaq; ejus admiranda, verè magnifica & toti orbi undiq; conspicua, purâ mente gratoq; corde deprædicare atque laudare queat; sub aspectum vocans columbas, quæ cum grana humi dispersa rostro in alimentum colligunt, caput suum oculosq; cœlis obvertunt, haud secus ac si cunctipotenti Deo, pro collatis in se beneficijs, gratias agere vellent. Beneficia autem divina inter mortales distributa, in tanta sunt multitudine, in tanta excellentia, tantoq; in pondere ac numero, ut nulla humana mens, nullum ingenium tantum, quod illa commemorare ac recensere possit, multò minus debitis encomijs extollere ac prosequi. Verum enimverò, cum opera ac beneficia divina, per admirandam planeq; stupendam omoium rerum ex nihilo formationem nobis exhibita, aliquantò altius pensitaverimus, obviam nobis sese sistunt, pulcherrimæ illæ maximeq; jucundæ anni vicissitudines, tempestatum mutationes, Syderumq; ortus, occasus, inclinationes & reflexiones, à quibus primariæ anni partes, Ver, æstas, autumnus cum frigidissima hyeme, suas dimensiones, durationes atq; perennes successus desumunt promuntq;. Quæ singula una cum reliquis creatoris in vastissimo hoc mundi theatro, invisibilis

ac omnipotens rerum formator, sex dierum spatio
exquisitissimè ex communi illa ac rudi omnium re-
rum parente produxit ac condidit, ut confestim per-
fecta omnimodè ac absoluta se hominibus sisterent.
Etsi autem hæc primo sub ortu, à supremo numine
perfectè sint creata; Ipsi tamen deinceps in hisce fo-
vendis, servandisq; , haud absolutâ suâ potentiâ, sed
certis medijs, quæ annorum temporumq; revolutio-
nes optime subministrare solent, uti placuit: his to-
tum universum secundum insitam naturæ virtutem
floret atq; viget, donec aliquando ex arbitrio altissi-
mi, cum omnibus suis partibus evertatur. Cælum
itaq; cum luminaribus & astris ex eâdem mole sua ac-
cepit initia, cujus virtus & efficacia in terris valdè
est notabilis. Terram verò sic disposuit Deus, ut
apta ac conveniens esset ad varias producendum ar-
bores, flores & fructus: Quæ verò anni pars tam pul-
cherrimos producat effectus, quivis dignoscere po-
test: ætas nimirum, suâ divinit⁹ concessâ virtute hæc
singula efficit atq; expedit. Ac quamvis quælibet
suis non destituatur encomijs, sed tot tantisvè abun-
det gaudeatq; utilitatibus, ut nemo sine magna diffi-
cultate, mentisq; hæsitantia unam alteri laudibus ac
dignitate præferre jure posse videatur: cum singulæ
optimè à Deo, propter gloriam ejus, hominum, bru-
torum rerumq; omnium creatarum salutem consti-

tutæ sint. Interim tamen ubi æstatis non modo jucunditatem, ac gratissimam aëris serenitatem; sed etiam florum suavitatem herbarum arborumque fragrantiam atque dulcedinem respexerimus, hanc non immeritò cæteris præferendam, laudibusq; extollendam censeo. Hæc enim cum pleraq; animalia, tum herbas plantasq; brumali tempore quasi demortua & sopita caloris sui ministerio, suscitavit fovet atq; refocillat. Gemmas, saxa silicemq; nobilitate atq; præstantiâ antecedere novimus, sic æstatem quoq; reliquis anni temporibus præcellere manifestò constat. Primam mundi ætatem testem dabimus; ætatem enim primis nostris parentibus, in viridario, inter flores, arboresq; suavitate multâ fructuq; abundantes, ambulantes gratissimam extitisse certum est; quorum odorifera jucunditate veluti inebriati sub nobilissimarum arborum umbra placidè recubabant. Quam suave Noacho cum suis hoc tempus fuerit, ex sacris liquet, qui postquam plurimorum dierum intervallo, intra structuram arcæ, per aquarum vastitatem, non secus ac sub umbra terræ, captus immanissimis undis, huc illucq; fluctuasset, tempus hoc æstivale amoenissimum, folijs arborum, terræq; floribus ridens & exultans à divina Majestate præfinitum, habuit quo ex arca veluti è carcere egrederetur. Omnium itaq; quæ jucunditatem
utilita.

utilitatemq; hominibus afferunt, reminiscantur, & gratiam Dei affectumq; erga sese ineffabilem, sincerô animô, condigno cultu, debitoque honore, agnoscant mortales. Verum inter plurimarum rerum commoda, quæ ad hominem veniunt, non exigua quæ æstas in singulos confert: De hoc igitur argumento, æstatisq; partibus, jucunditate salutari, grata syderum illustratione, ac pulcherrima terræ facie, brevem animus est instituire sermonem; in quo non eloquentiam Demostenis, non poëmata Homeri, nec elegantias Ciceronis, vel alterius excellentis facundiæ hominis orationem expectabitis; sed argumentum præsens rudi ac parum artificioso styli genere adumbratum audietis. Subnixè autem & officiosè oro & contendo, ut eodem favore parique benevolentia mihi candidas vestras aures, æquas, dexteritatisque plenas præbere & accommodare dignemini, quâ alios humanitatis cultores, amplissimum hunc locum ascendentes amplecti consuevistis. Quem admodum igitur, *Auditores honoratissimi*, omnia quæ mensurari possunt, tribus potissimum, vel duobus ad minimum constant dimensionibus, quarum terminis veluti cancellis certis ac limitibus continentur: Sic durationes anni ejusque partes, inter quas primaria est summum solstitium & tempus hinc paululum declinans, tribus vulgò absolvitur stationibus, princi-

pio, medio pariter ac fine: quæ in signis Zodiacis, Cancro, Leone ac virgine commode finiuntur. Est ergo æstas secundum hæc quæ diximus, secunda pars anni, quâ sol ab æstivali solstitio tria Zodialia signa peragrans, ad æquinoctium autumnale descendit. Æstatem hanc amœnissimam & Dei miraculum factis grande, constitutionem suam durationemq; per jucundam, non pariter & simul uno temporis puncto absolvere, sed cognationem quandam arctissimam cum præcedente verno & insequente tempore autumnali obtinere clarum est. Hanc tempestatum harmoniam, minime, quod ex opinione vulgi ejusve supputationibus sæpius contingere sivevit, naturalia æstatis membra statuimus; sed ut in primo Cancri puncto & gradu initium capit, duodecima Junij, sic medium per Leonem partim Julio partim Augusto adscribit & assignat, clauditur verò atq; finitur cum signo Virginis, circa decimam tertiam diem Septembris æquinoctium autumnale constituentis. Omnes præfatæ istæ mutationes & temporum discrimina e vario diversoque syderum ac planetarum, cum primis Solis luminaris maximi & faculæ mundi splendidissimæ revolutione promanant atque dependent. Corpus enim solare ubi ad summam altitudinem, propiusvè ad nostrum Zenith evectum fuerit ac pertigerit, radios suos non obliquos

quos & inefficaces sed rectos penè summaque ni-
xos virtute, spargit atq; effundit. Calorem antea
temperatum, nisi aliæ qualitates & exhalationes ob-
stiterint, magis magisvè intendit & adauget; &
sub æstatis exitu, ubi autumnus rudimenta sua præ-
struere conatur, eundem grata varietate attempe-
rat. Ut non immeritò inenarrabilem dicamus esse
Divinam Majestatem cuncta hæc splendide forman-
tem & operantem; Mirabilem ac plane paternum
erga humanum genus favorem, quò commotus cu-
ram nostri gratia suscipit ac sustinet insignem, o-
mniaq; nobis salutaria instituit, operatur atque con-
servat. Quis ergo mortalium ac ubi gentium re-
periatur, qui hanc Dei benevolentiam non admira-
tione dignam arbitretur? Cum præsertim nullius
tanta sit ingenij sagacitas & prudentia, ut in hisce
perscrutandis ac pensitandis quicquam sibi præsu-
mere & svadere audeat, nullus sanè hominum operis
hujus bonitatem excellentiamq; plenè indagare po-
test. Æstas omnem aëris terræque regionem, non
subitaneo ac è fornace quasi ignito fervore erum-
pente invadit; sed paulatim caloris naturalis optata
successione, pro ut quævis instituta, opera, actaque
hominum postulant, intendendo placideque remit-
tendo omnia sibi invicem familiaria reddit. Frigi-
dissimam hyemem insequitur morbidum & infæca-
tum

tumver, vernale jucunda atque vitalis æstas, hanc tandem vehemens atque tumultuosus autumnus ad horridam rediens vergensque brumam. Cæterum monet augmenti ratio & natura, quod partes etiã aliunde ipsi, tã ab arbitrio humano, quam pro rerum tractandarum more ac consuetudine competentes, breviter perstringam, quarum aliæ fœnificijs, fœnumque secantibus, aliæ messorum laboribus inserviunt; Illi primum ferreis instrumentis gregatim, magno numero in amœnissimis pratis, veluti ad Marrathoniam pugnam falces in odoriferas herbas & gramina immittentes progrediuntur, hos haud minori copia minorum caterva rastris & cuspidibus instructa, dissectum fœnum corradiens, congregans, inque fœnilia convehens comitatur. Hisce peractis, messis siligenis ac hordei imminet, quam ratione frugum ac leguminum utilissimorum, pro ut alia citius, alia verò tardius maturitatem consequuntur, peragendam monet suavissima aura australis: Nobile triticum cum ingrato lolio, & fatuis avenis falce extirpatur ac concidit, cæteri idem eversum uncis ac manibus colligunt constringunt, inque mergites & acervos erigunt congeruntque: Qui suscepti labores, quæ mortalium instituta, eò majori alacritate, quò uberior fuerit messis & tempestas commodior, peraguntur, tractantur atque expediuntur.

Pateri. a

Paterna hinc Dei cura circa actiones humanas & terrenas evidenter elucet, quod ejusmodi cœlo nostri causa æstatem regere atq; dirigere dignatus est, quo segetes nascuntur & incrementum concinno ordine concipiant, ne quando simul ac in præsentî singulæ operâ ac ministeriô hominum egerent, & sic assiduitate laborum, onerumq; gravitate vires eorum corrumperentur, his ita tabescentibus, illæ etiam multum detrimenti caperent. Verum quid hæc, omnia ex institutione humana ortum usumq; traxêre; Cœlum, Sydera & quæ longè eminentioris sunt indagationis intueamur, unde tam efficaces illustresque promanant operationes. Solis splendorem aëris insequitur serenitas, calor serenitatem, calorem verò flores ac fructus, hos salus & singulorum integritas, quæ tandèm toti Reipub. conferunt, eamq; collapsam restaurant, fovent atq; firmant. Quid enim Respub. sine rege, quid Rex sine subditis, quid subditi, sine agrorum, aliorumq; anniversariorum redditibus? Unde verò proventus anni, nisi beneficio tempestatum & calore æstivali, horumq; gratâ vicissitudine? Respub. itaq; hisce sæpius adminiculis juvatur, hisce augetur & stabilitur; Ast, ubi pro labore dissidia; pro frugum ubertate, annonæ caritas; pro agricultura, aëris intemperies, & serenitatis defectus proveniunt, fortuna simul cum actio-

nibus immutatur, totumq; ex uno incommodo in aliud deterius præceptis ruit ac corrui. Arbores in eunte vere folia ac flores producentes, insurgente æstate accrementum capiunt; earumq; fructus etsi immites & austeri, Cœli tamen refrigerio maturescunt, dulcesq; redduntur: Hominibus equidem haud exiguum gaudium adferunt frondes & flores, sed ut flos absq; fructu, plantatio absq; nutritione, nutritio absq; accretione vana & frustranea; Ita nec cultura agrorum sine dispersione seminis, nec semen sine culmo ac calamo, nec calamus sine arista, nec arista sine foetu multum proficit, quem per prævias mutationes consecuta, æstati unice ac qualitibus ejus convenit adscribi. Quid commodi tota universi hujus structura ad conservationem sui, à calore æstivali capiat, satis constat, etsi satis vix possit explicari. Nam gloriam ac majestatem principis cujusdam perpotentis qui intuentur, tantam inter homines dari toto admirantur pectore, qualis gloriæ exemplar nitidissimum, Regina Australis Candaces in Salomone rerum terrenarum sapientissimo, notavit, illumq; ob summam eminentiam, vitæq; rationem illustrissimam, quibus indies gauderet, cum ministris, sub sole felicissimum ac gloriosissimum deprædicavit. At hæc haud plus luminis in comparatione cum æstate obtinet, quam si cum
sole

sole, luna stellavè componatur. Salomon nimirum, etsi tantis adornatus esset virtutibus atq; divitijs, quantas perfectio naturæ, conditioq; mortalis unquam recipere potuit, cum illis omnibus nihilominus vincere haud potuit amœnitatem folij minutissimi, quod æstas ex sese genuit. Terram, pulcherrimæ arbores, plantæ, ac flosculi suavissimi, multò pulchriores quam Smaragdi, rubini, carbunculi aliavè gemmæ, vestiunt & ornant. Arbor suavissimam auram excipiens, ramos suos cæteris anni temporibus folijs ac floribus denudatos, omni amœnitate consitos expandit extenditq;, umbram fessis referans gratissimam. Sed quid vulgarium arborum dexteritatem recenseam, cum aliæ multò nobiliores æstatem commendant: Vitis, malus, ficus, olea & cæteræ, cum quercu omnium non tam fertilitate quam stabilitate ac ætate præstantissima, quæ Deo hortulanorum principi, gratos suos fructus in hostiam pro convenienti serenitate offerre videntur: tot vascula, tantæq; magnitudinis dolia, dulcissimo suo implent humore, & munera proferunt. Magnificentiam ac suavitatem prata, agrique æstatis gratiâ habent maximè insignem: Campi enim spatiosissimi summâ odorum fragrantiam redolent, egregiam pulchritudinis forma vestiti, deambulantes reficiunt, plantarum, herbarum liliorumq; maximâ copiâ re-

pleti ita delectant, ut id vix mente satis concipere quis, nedum verbis effari satis sustineat. Virtutes herbarum saluberrimas, quibus medicina utitur, hic taceo; quæ ut magnæ sunt ac efficacissimæ, ita summè necessariæ, non modo ut valetudinem amisam restauremus, sed etiam instauratam retinere, retentam fovere ac corroborare queamus. In diversarum figurarum schematibus & effigierum lineamentis depingendis, artificiosis pictoribus quid proficit æstas, testantur effecta eorum multivaria, quæ succis illarum coloriferis tincta, speciem aspectumq; ætatis fere reddunt formosissimum desideratissimumque. Sævitatē quoq; notabilem ac sapores dulcissimos, quos tam eminentioris quam inferioris sortis hominibus largitur æstas, ad condienda ciborum genera, & delicatum conficiendum nutrimentum, prætereo: non dico de animalibus brutis. Melificia tamen dulcissima si ignoraremus, apes non haberemus, quæ absq; ætatis floribus & herbis, quarum virtutes mirabili industriâ exsugant, inq; alvearia sua homini sibiq; in escam recondunt, præparare nequeunt; nobilissimæ autem illæ virtutes, dulcesq; humores, nec aliundè quam caloris æstivalis & uberioris serenitatis beneficio provenire possunt. Hominis vigorem, ejusq; nonnullos ætatis gradus sub considerationis incudem, qui revocare voluerit, eodem

dem negotio naturam quoq; & indolem æstatis familiarē sibi efficiet; Nam quemadmodum pueritia ingenij rudimenta deponit leviora, adolescentia eadem auget & continuat, juvenus verò atasquē virilis in iisdem progreditur, donec priora tyrocinia in celsioris eruditionis specimina digerere atque convertere valeat: Sic in æstate multa proviniunt, quæ sub initium præparantur, deinde crescunt, tum demum maturescunt, decidunt atque decrescunt: Homini itaque dum spiritus vitales ducit, pueritiâ nihil citius conteritur, nihil adolescentiâ jucundius transit, nec juventute robustius quid, firmiter, usq; magis desiderandum possidetur; Ratione haud dissimili disposita sunt intervalla æstatis, cujus primordia citissimè labuntur, medietatis momenta brevi tempore persistunt, exitum quò diutius frui optamus, nobis irruens autumnus claudit, terminat atque abruptit. Animalium reptilium, quadrupedum, volatiliū pinnisq; nataantium vigorem & alacritatem ubi conceperimus, illam, æstatem circa, maximopere laudandam esse censebimus. Eodem tempore & avium cantus, & pecorum lusus, & papilionum exercitus, aliq; quæ mortalium generi delectationem pariunt magnam, quid magnam dixi? maximam certè ac longè eminentiorem quam ferè obvium cuiquam satis credere. Volucres quorum alij

in aëre ac circa summitates arborum, alij, circa terram ac profundas aquas, cantus suavissimos mirabili harmonia, dulcedineq; edunt: æstate deficiente silent. Sic trochilus, sic achantis, alauda, luscinia, sic hirundo & reliquæ dulcisonæ, ætatem naturâ jucundam, sui cantus modulatione, amœnissimam maximeq; gratam reddunt. Cætera avium genera, quæ Deus mediante æstivali refrigerio, plurimisque quamvis dictis non æqualibus adornavit donis, omitto: Hæ vastas terrarum solitudines, sylvarumque recessus ad humanos usus sui multiplicatione adimplent, ibiq; suos struunt nidos, ne vastissimus terrarum orbis, multis in locis incultus, omni planè viventium conversatione careret; pariunt ergo ova, quæ calore proprio, pariter ac adventitio æstatis fota, pullos foetusq; similes parentibus præbent. Quadrupedum quorundam ac reptilium genera per frigidissimam hyemem in speluncis suis & scoribus latitantia & quasi sepulta, appropinquante æstate, integritati suæ restituntur; ut ferocissimus ursus, vilissimus herinacius, ac pestifera serpens, aliæque insecta plura, quæ gratiam ob collata munera quasi retribuere videntur, cum terram & plantas venenosæ exhalationibus plenas, lingvis suis purgant ac abluunt. O admirandum naturæ opus! O quam gloriose Deus olim ab initio id condidit ac etiam-

num

num dirigit!. Animalcula quæ pretiosissima habentur salutem hominum ac jumentorum inservire jussit. Quid de venatione dicam? ac avium captura fertilissima, ut laqueis, retibus alijsq; artificiosis inventis à venatoribus & aucipibus æstate circumveniantur. Quis piscaturas apud varias gentes diversaq; maris litora, hac tempestate uberrimas dinumerare posset? tantâ enim copiâ ac fertilitate pisces tum abundant, ut non modo, sibi ac suis, sed & alijs nationibus plurimis satisfacere ac alimenta suppeditare possint. At, quid nos humunculi, benignissimum hunc Dei affectum & promptitudinem ineffabilem promerui? minimè: An hujus affluentia bona propria acquisivimus industria? nullo modo: Ipse beneficiorum suorum inter gentes dispensatorem se præbet æquissimum, ac omnipotentem. Ipse temporum varietates mirabili providentiâ dirigit. Unum ad huc æstatis fructum, in mineralibus & metallis fovendis, generandis ac producendis memorandum, verbo delibare lubet unico: Nam planetæ cæteraq; sydera cœlestia suâ ope, tempore hoc existente, ad interiores terræ partes cavernasq; pertingentia, materiam pro metalli cujusq; genere, exercent atque disponunt, ut effecta inde totis rebuspub: proveniant utilissima, cunctarum usibus & maximè accommoda. Gemmæ, Margaritæ, corallia & lapides præstan-

præstantiores cæteri me filente eandem æstatis svavitatem commemorant, celebrantque. Verum enimvero ut evidentior etsi in se perspicua, præsentis svavitas, grataq; Cœli facies evadat, gelidissimam introspeciamus hyemem, qua singula hominum negotia, difficiliori studio ac molestia tractantur. Sicuti enim terra omniaq; terrestria, gelu & intenso frigore constringuntur ac vexantur; ita etiam ingenia hominum tunc torpent: nunc autem omnia lætitia scatent, nunc amœnitate ac svavitate manifestissime fluunt ac refluunt. Vehementissimo aequiloni succedit lenissima aura; pro adurente omnia frigore, efficacissimus calor, gramina, herbam frondesq; virentes fovens; Impetuofam nivem abigit fertilissima pluvia; perniciosam pruina, segetum insidiatricem pestiferam depellit svavisimus ros, cujus irrigatione eadem foventur. Ad Civilia insuper negotia si descendam⁹, non minor in hisce quàm superioribus, æstatis elucet svavitas & amplitudo. Nam & navigationes, ac in terras peregrinas itinera, pretiosissimorum fructuum & aromatum, plurimumque aliarum mercium commutationes tunc instituntur. Fulcruosissimum oceanum, vastissimum mediterraneum, gravissimum mare Balthicum hyeme, quis unquam navigio transire sustinuit, qui non jacturam bonorum vitæq; discrimen cognosceret gravissim-

vissimum. At has difficultates æstas ignorat, hujus privilegio instructi tam classe ac scaphis, quam equis ac pedibus eò facillime progredi valemus, quò hyeme, vel magna difficultate vel penitus non pervenire possemus. Nulla, nulla inquam anni pars peregrinationibus quibusvis exoticis sive domesticis hæc commodior. Literarum cultores, propter brumam intollerabilem, foedasq; exhalationes evitandas musarum limitibus hæctenus obsessi, syderum jam dexteritate allecti, recreandi gratiã progrediuntur; deambulando, alijsvè exercitijs corporis se suaq; exhilarant, facilitant atq; reficiunt. Solennitates, inaugurationes, Commœdias, & spectacula alia grata, visumq; oblectantia, in hac cœli serenitate maximè apta reticeo, honestoq; involvo silentio. Verum cogitet aliquis, tempestatem hanc æstivalem, minus salubrem ac gratam, minusvè jucundam esse, cum tot demortuorum corporum cadavera, partim humi deposita, partim aquis immersa, mediante solis calore, foetorem produnt tetricum: aquas aëremque venenis inficiunt, unde hominibus ac brutis infestissima immineant pericula. Hinc truculentissima pestis, aliaq; contagiosa morborum genera; Illinc populorù strages ac ruinæ; Inde regionum vastationes, exercitiorum ac negotiorum remissiones: hisce sic destitutis, neglectis atq; sopitis, miserrimi casus &

C

adversi-

adversitates toti Reipub. ingruunt & accelerantur. Ast horum incommodorum non tantum est roboris ut conceptam amœnitatem, ac innatam suavitatem æstati detrudere valeat; Cadaverum illæ exhalationes etsi venenis infectæ, omnem tamem aërem inficere nequeunt: Nec calor omnibus acceptus tot suscitatur morbos. Quin & fœtores ex putredine fluentes, nobis minus sunt perniciosi; quia alij ad supremum aërem ascendunt, ibiq; condensantur & consumuntur; alij in nubes & vapores crassiores transformantur, aut in pluvias ac rores resoluti pulcherrimam terræ faciem nimio æstu labefactatam, cum plantis suavissimis, irrigant fertilemq; reddunt. Difficultates igitur si quæ sunt, eas non æstati, sed nobis ipsis, nostræq; adsignemus culpæ, qua beneficijs Dei optimis pessimè abutimur. Pestis & contagiorum, æstas ejusq; serenitas in causa neutiquam sunt sed homines, quibus orbis conservator Deus, talia in pœnam ob patrata scelera & flagitia immittit. Nulla ergo tam surda, tam ingrata mens, quæ non in cœlum hanc anni partem efferat laudibus, Valetudini enim nihil salubrius, nihil commodius. Sed ne præter intentionem, fidemq; initio factam, orationis meæ filum extendatur, quò nobile hoc argumentum naturâ gratissimum, ingratum ac minus suave & jucundum forte fieret, sistendum mihi hic

con-

consultius duco, quàm imperite dicendo, singulari
omnium vestrum, *Audit : honoratissimi*, favore &
attentionis benevolentiam abuti. Admiranda olim
septem mundi miracula extitisse, licetis proditum est;
admiranda fuisse quæ de græciæ sapientibus relata
legimus; admiranda quondam floruit structura Baby-
lonica; admiranda viguit structura templi Hieroso-
lomitani & Salomonis: quarum rerum tanta erat ad-
miratio, ut non modo mentes nostras, sed etiam pri-
scorum hominum pectora, stupore afficere possent;
Sed humana illa fuere inventa, laudabili industriam
& ingenioso acumine exculta atq; elaborata: At
quantò majori admiratione affici debemus, quotiens
æstatem potissimum hujus mundi miraculum pen-
samus, cujus author & inventor nullus hominum es-
se vel extare potest, sed omisciens ac æternus Deus,
bonitate immensus, in seculorum secula celebra-
ndus. Hic totius spatiosissimi orbis creator. Hic o-
mnium rerum gubernator; Hic temporum ac anno-
rum prudentissimus dispensator: Illius voluntate
singulæ anni partes sibi invicem mirabiliter succe-
dunt: ad nutum ejus sol oritur ac occidit. Provi-
dam hanc atq; admirandam omnium gubernatio-
nem, eloquio Ecclesiasticis comprehendamus dicen-
tes cum sapiente: Intellexi quod omnium operum
Dei sub cœlo, nullam possit homo invenire ratio-
nem,

nem, & quantò magis ad quærendum laboraverit, tantò minus inveniat, & si dixerit se nosce, tamen non potest reperire. Nos igitur horum operum memores, quibus suam stupendæ admirationis bonitatem, magnificentiam incomprehensibilem, muneraque verè prætiosa declaravit, debita gratiarum actione, cultuq; condigno agnoscamus & veneremur. Exemplum virorum integerrimorum in historicis passim leguntur, qui cum propter sanitatem, pulchritudinem, cæteraq; animi corporisvè bona; tum divitiarum, dignitatum aliorumq; fortunæ ornamentorum gratiam etiam celebrantur & virefcunt. tantò elogiò digni reputantur, qui eâ quibus gloriabantur, alterius nutu possidebant. Aliter cum æstate res est. Propria ejus elegantia, propriæ ejus virtutes, bona non crebro studio ac diligenti labore parta obtinet; sed ex naturæ suæ vi & benedictione acquisita & producta exhibet; Cultores suos dicit & bonis coronat, petentibus dona muneraq; eximia tribuit atq; largitur. Vigeat ergo suavissima æstas; vigeat tempestas saluberrima: vigeant jam flores & fructus nitidissimi: vigeant animalia quæque: vigeant mortalium ætates: floreat agriculturæ bona: Incrementum capiant actiones, aq; negotia quævis honesta. Gratiam deniq; tuam nobis ò æterne Deus permitte, ut æstatem hanc sic auspicemur,
qnò

quò singula instituta, solennitates, actus ac publica negotia quæcunq; hac tempestate expediunda sunt, in sempiternum sacri tui nominis honorem ac cultum, Pætriæ incrementum ac decus, omniumq; salutem vergant ac cedant. Hæc omnia largire, felicia prosperaq; redde. Virtutis tuæ afflatu eadem illa jam & impostherum rege, exituq; felicissimo exorna ac illustra. Serenissimam Reginam CHRISTINAM AUGUSTAM, Principem ac Dominam nostram Clementissimam, potentissimam, cum Regina vidua Serenissima, protege atq; conserva, eiq; non modo præsentem ætatem, sed & singulas anni partes omnemq; ætatem & vitæ tempora saluberrima, svavissima, perenni q; prosperitate duratura concede atq; largire. Gratissimâ tuæ serenitatis aurâ, tempestatisq; refrigerio, Illustrissimum ac celsissimum Dominum CAROLUM GUSTAVUM, Regni Svecani principem Hæreditarium custodi & protege. Syderum tuorum virtute ac radiorum splendore Illustrissimis regni senatoribus ac Proceribus excellentissimis succurre atque opitulare, ut bona valetudine mentisq; integritate nixi ac suffulti, patriæ Charissimæ salutaria Civibusq; utilia svadeant. O sol justitiæ Christe, Academiarum Scholarumq; præsides, Doctores ac directores præclarissimos, totiusq; reipub. literariæ Antistites ac tutores longè

venerabiles, in vera fide, ac Religionis sinceritate
Rege ac gubernata, ut & nos cum omnibus discendi
cupidis, horum beneficio ac informatione ceu plan-
tæ æstatis rore irrigati, floreamus, accrescamus, vi-
geamus, fructusque Deo, patriæ ac præceptoribus
lapidos utilesque feramus. Concede quæsumus
ut imminente postrema vitæ horulâ, fructus hic con-
cepti & acquisiti, nobis perpetuò in futura spiritua-
li æstate, perfectius maturescant; atque inter angeli-
cos applausus, cantusque triumphales suavissimos,
sub umbra arboris vitæ Christo, perenni refrigerio
& beatitudine fruamur, cui cum Patre & Spiritu
Sancto sint sempiternæ laudes, honor & gloria
in secula nunquam finienda, nullo limi-
te terminanda, claudenda,
absolvenda.

D I X I.



Ad literatissimum Juvenem

Dn. JOANNEM ERICI CLOVERUM,
Uplandum, Amicum dilectum de ætate
perorantem.

Æstas quas meruit laudes En docte JOANNES
Pingere contendis, suavis amice, benè.
Æstas jam floret, cum tempore convenit illud.
Cum studijs JANNES convenit idque tuis.

hæc paucula
P. E T R U S *Stung/*
Phil. Civilis Prof.


Aliud


Ad amicum suum in paucis charum:

Sol lucis noctisque vices disponit & anni,
Sydera dum cœli per duodena meat.
Æstatem profert versando brachia Caneri,
Virginis amplexus, horridaque ora fera,
Et tunc vernat humus, subitoque arbusta virescunt,
Tempore nec longo mitia poma ferunt.
Hæc & quæ generis sunt hujus plura CLOVERE
Ipse satis docto differis ore. Vale

Honoris & moris ergo scribebat

ANDREAS M. *Leuffstadius.*





www.books2ebooks.eu